

INDEX

---

MOLLUSCORUM MARIS JAPONICI

---

CONSCRIPTUS ET TABULIS ICONUM XVI ILLUSTRATUS

A

GUILIELMO DUNKER

PHIL. DRE, MINERALOGIAE ET GEOLOGIAE IN UNIVERSITATE LITERARUM MARBURGENSI  
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO ETC.

---

CASSELLIS CATTORUM.

SUMPTIBUS THEODORI FISCHER.

1882.

**Genus Crossea A. Adams.**

*Crossea miranda* A. Adams.

Ann. and Mag. etc. Apr. 1865. pag. 323. Journ. de Conch. vol. 16. pag. 55. Tab. 4. fig. 9.  
Insula Goto.

*Crossea bellula* A. Adams.

Ann. and Mag. l. c. Journ. de Conch. vol. 16. pag. 56. Tab. 4. fig. 10.  
Insula Goto.  
Adamsius opinatur has cochleolas Scalariaceis adjungendas esse.

**Genus Constantia A. Adams.**

*Constantia elegans*, A. Adams.

Ann. Nat. Hist. 1860. vol. 5. pag. 300. ibid. Dec. 1861. pag. 483.  
Fretum Coreanum prope Mino-shima.

*Constantia Tantilla* A. Adams.

Ann. Mag. Dec. 1861. pag. 483.

Tabu-shima.

Hae species Adamsianae sine indicio mensurae breviter descriptae, plurimis conchyliologis certe dubiae, nullibi, quantum scio, depictae sunt. Species nonnullae collectionis nostrae in indice Adamsiano desiderantur, ex. gr. *Scalaria aurita*, *immaculata*, *Japonica aliaequae*.

**Terebracea.**

**Genus Terebra (Adans.) Lam. \*)**

*Terebra maculata* Lin. (Buccinum).

Syst. Nat. ed. 12. pag. 1205. Rumphii Mus. Tab. 30. fig. A. Martini Conch. Cab. vol. 4. fig. 1440.  
Lam. anim. sans vert. vol. 10. pag. 238. Reeve Conch. icon *Terebra* spec. 4.

Exemplar minus huius speciei, maximae sui generis, quod Hamburgi quondam adeptus sum, Japonicum esse affirmabatur, qua de causa hanc speciem inter *Mollusca Japonica* hic enumero etsi aliquo modo incertus.

*Terebra muscaria* Lam.

Cfr. Lamarck anim. sans vert. vol. 10. pag. 241. Reeve Conch. icon. *Terebra* spec. 9.

Specimen minus inter *Mollusca Japonica* adest.

---

\*) Adansonius cum *Terebra Senegalensi* „le Faval“ varia cochlidum genera conjunxit, inde hoc genus sensu Lamarckiano sumsi, divisiones Adamsianas haud respiciens, cum certe terminari nequeant. In „the genera of recent Mollusca“ vol. I. pag. 224. ita dispertuntur: 1. *Acus* Humphr. cum subgeneribus *Abretia*, *Hastula* et *Euryta*, 2. *Terebra* Adans. cum subgenere *Myurella*. Pariter Deshayesius has cochleas pervarias difficile decernendas disponere tentavit. Proc. Zool. Soc. 1859. pag. 275.

*Terebra evoluta* Desh.

Proc. Zool. Soc. 1859. pag. 292. Reeve Conch. icon. spec. 55.

Haec species a Deshayesio in exemplar collectionis Cumingianae unicum fundata, *Terebrae* Dussumieri Kien. quidem admodum affinis est, sed statura graciliore multo minore nec non sulco profundiore differt. Nihilo minus tamen quaeritur utrum sit species propria, an potius varietas tantum Japonica *Terebrae* Dussumieri. Ad hanc quaestionem solvendam major speciminum copia desideratur.

*Terebra flammea* Lam.

Anim. sans vert. vol. 10. pag. 239. Reeve Conch. icon. spec. 13.

Specimen grande adest.

Mare Japonicum (et Chinense).

*Terebra pretiosa* Reeve.

Proc. Zool. Soc. 1842. pag. 200. Conch. icon. *Terebra* spec. 30. fig. 30 a. optima.

Unum specimen magnum pulcherrimum.

Mare Japonicum (et Chinense).

*Terebra subulata* Lin. (Buccinum).

Syst. Nat. ed. 12. pag. 1205. Lam. anim. sans vert. vol. 10. pag. 242.

Specimen minus exstat jam antea ex Japonia acceptum. Cochlea multis in regionibus obvia.

*Terebra* consobrinam Deshayesii (Journ. de Conch. vol. 6. pag. 72. Tab. 3. fig. 3.) e mari rubro pro varietate tantum *Terebrae* subulatae aestimandam esse mihi persuasissimum est.

*Terebra strigilata* Lin. (Buccinum) var?

Syst. Nat. ed. 10. pag. 714. Mus. Lud. Ulr. pag. 614. (icon. Rumphiana H. Tabulae 30 a Linnaeo citata minime quadrat). Born Test. Mus. Vind. pag. 264. Tab. 10. fig. 10. Lam. anim. sans vert. vol. 10. pag. 248.

Collectio Molluscorum nostra Japonica *Terebra* parvulam continet, quam pro varietate *Terebrae* strigilatae declaraverim, etsi tamen dubitatione quadam. Quamvis enim color et picturae indoles bene quadrare videantur, tamen testa parva multo gracilior acute striata valde discedit a forma typica Buccini strigilati, quam fig. 10. Borniana optime refert. Pariter dubitaverim num *Terebra* Verrauxii Desh., quam clar. Reeve et Lischke cum *Terebra* strigilata jungendam esse censent, huc pertineat. Specimina huius cochleae splendidissimae quasi murrinae exstant nonnulla in Molluscorum collectione nostra, quae descriptioni Deshayesianae (Journ. de Conch. vol. 6. pag. 95.) optime respondent et inter se congruunt. — Multa in conchyliologia incerta manebunt donec bestiolae testarum cognitae erunt. Conferantur quae clar. Lischke Jap. M. Conch. vol. 3. pag. 40. de *Terebra* strigilata admodum variabili jam dixit.

*Terebra Lischkeana* Dkr.

Tab. nostra 5. fig. 13—16. var.

Malak. Bl. vol. 24. pag. 74.

Testa subulata acuta, fascia alba supera, fusca vel coerulescente, infera quasi bipartita, anfractibus 17—18 modice convexis, sutura distincta separatis, longitudine costatis instructa; costae

laeves; intervalla transversim denseque striata; sulcus infra suturam exilis, in costarum interstitiis punctulis pertusus; apertura oblonga; columella subrecta fusca; canalis brevis; apex purpureo-fuscus nitidus. Specimina maxima plane adulta 35 mill. longa sunt.

Plura specimina exstant congruentia.

Haec cochlea cum nulla quae hucusque descriptae sunt, Terebrarum specie conveniens, pictura et sulco infra suturam exili, in costarum intervallis punctis pertuso imprimis insignitur. In speciminibus nonnullis fascia fusca maculis vividioribus variegata est. Omnia lineam albam plus vel minus perspicuam in fronte ostendunt.

Hanc speciem gracilem amico C. E. Lischke dedicatam esse volui.

#### *Terebra bifrons* Hinds.

Proc. Zool. Soc. 1843. pag. 155. Sowerby Thes. Conch. vol. 1. pag. 174. Tab. 43. fig. 57. Reeve Conch. icon. spec. 62.

Haec cochlea jam ex longo tempore a clar. Siebold ex Japonia reportata, ad rariores Terebrarum species pertinere videtur. Testa ejus turrito-subulata, anfractibus parum convexis, superioribus longitudine plicatis, sulco mediano divisis, ultimo tertiam totius altitudinis partem paene aequante, seriebus granorum inaequalibus multis (14—16) cincto, canali brevi lato truncato, columella vix contorta nec non colore badio imprimis insignitur. Icon Reeveana optima est, pariter Sowerbyana ad minorem modum redacta, abunde sufficit.

Duo specimina congruentia exstant.

#### *Terebra Loebbeckeana* Dkr.

Tab. nostra 5. fig. 17. 18.

Malak. Bl. vol. 24. pag. 74.

Testa longa, gracilis, alba fascia lata interrupta pallide fusca cincta, anfractibus circa 30 sutura distincta divisis, parum convexis, oblique costulatis transversimque striatis, subgranosis, superne sulco divisis instructa; apertura angusta; columella parum contorta; canalis subcurvus. — Alt. 75 mill. diam. max. vix 10 mill.

Unicum tantummodo specimen inter Mollusca Japonica exstat notis nonnullis Terebrae Limae Desh. respondens, sed altera ex parte ab ea satis discrepans. Testa enim differt primo habitu graciliore, secundo superficie minus aspera, tertio praesertim eo, quod costa spiralis infra suturam sulco perspicuo formata, non est granosa, sed plicata, ita ut plicae longitudinales sulco isto tantummodo interruptae appareant.

Haec species amico Theodoro Loebbecke Molluscorum sedulo scrutatori dicata est.

#### *Terebra triseriata* Gray.

Tab. nostra 5. fig. 19. 20.

Proc. Zool. Soc. 1834. pag. 61. Sowerby Thes. Conch. vol. 1. pag. 171. Tab. 45. fig. 119. Reeve Conch. icon. spec. 52 a. b.

Beatus H. Cuming hanc cochleam e Philippinis insulis et mari Sinensi primus attulit.

Duo specimina integerrima in Japonia lecta exstant. Cum icon Sowerbyana, secundum exemplar incompletum picta, haud sufficiat et figurae Reeveanae paulum differant a nostris speciminibus, alterum integritatis causa hic depictum est.

Omnium specierum hucusque notarum gracillima gyrisque plurimis (46—48) instructa est. Anfractus plani, paene cavati, serie nodorum triplici, media maxima, infera minore, supera minima,

costulisque quaternis graniferis inaequalibus cinguntur; apertura parva subquadrata; columella antice producta; canalis latus aliquantulum resupinatus. Apex acutus anfractibus constat primordialibus quatuor laevissimis et nitidis. Color totius testae pallide aurantius vel stramineus.

*Terebra serotina* Hinds. (*Myurella*).

Adams et Reeve Voy. Samarang pag. 30. Tab. 10. fig. 20. Reeve Conch. icon. *Terebra* spec. 66.  
Japonia Belcher. Nagasaki.

Specimen nostrum 45 mill. longum cum figuris et descriptionibus supra laudatis convenit, sed addendum est, apicem in hoc specimine integerrimum obtusiusculum, suboblique tortum, glabrum et nitidum testamque maculis nonnullis pallide fuscis fasciaque infera albida pellucente signatam esse. Varietas gracilior in collectione Loebbeckeana Dusseldorpii exstat.

*Terebra torquata* Adams et Reeve (*Myurella*).

Voy. Samarang pag. 30. Tab. 10. fig. 13. Reeve Conch. icon. *Terebra* spec. 69.  
Specimen unum integrum exstat 46 mill. longum prope Nagasaki lectum.

Haec cochlea antecedenti similis est, sed testa latiore, nodorum seriebus tribus, binis superioribus et una infera minore, costulis longitudinalibus striisque transversis cancellata omnino sculptura asperiore differt.

*Terebra Gotoënsis* Smith.

Proc. Zool. Soc. 1879. pag. 183. Tab. 19. fig. 1. 1a.  
Species variabilis in freto Coreano indigena.

*Terebra Jeffreysii* Smith.

Proc. Zool. Soc. 1879. pag. 184. Tab. 19. fig. 2.  
Species solidula lutea 25—26 mill. longa, anfractibus primordialibus insolite crassis insignita.

*Terebra textilis* Hinds.

Proc. Zool. Soc. 1843. pag. 156. Sow. Thes. Conch. vol. 1. pag. 177. Tab. 44. fig. 73. Smith Proc. Zool. Soc. 1879. pag. 184.

Japonia australis.

*Terebra subtextilis* Smith.

Proc. Zool. Soc. 1879. pag. 185. Tab. 19. fig. 3.  
Insula Shikoku.  
Antecedenti cognata testa majore, solidiore, colore albo aliisque notis differt.

*Terebra tantilla* Smith.

Proc. Zool. Soc. 1879. pag. 185. Tab. 19. fig. 4.  
*Myurella pumilio* Smith (Ann. Mag. etc. 1873. vol. 11. pag. 269.) auctore ipso affirmante eadem est species.

*Terebra albozonata* Smith.

Proc. Zool. Soc. 1879. pag. 185. Tab. 19. fig. 5.  
Species fusca taenia alba cincta.  
Kiushiu.  
Dunker, Moll. Jap. mar.

*Terebra fulgurata* Phil.

Zeitschr. für Mal. 1846. pag. 53. Reeve Conch. icon. *Terebra* spec. 151. = *Terebra arguta* Gould.  
Mex. and Calif. Shells. pag. 7. Tab. 14. fig. 19.

Haec species *Terebrae aciculatae* Lam. Maris mediterranei cognata, antea e litore Californiano tantum nota, nec minus in freto Tatarico inventa est. Cfr. Schrenck Amurl. Moll. pag. 450.  
Ad *Eurytas* fratrum Adams pertinet.

Praeterea hae *Terebrarum* species pariter in Mari Japonico obvenire dicuntur:

*Terebra blanda* Desh.

Proc. Zool. Soc. 1859. pag. 298. Reeve Conch. icon. *Terebra* spec. 117.

*Terebra Dillwyni* Desh.

Journ. de Conch. 1857. Reeve Conch. icon. *Terebra* spec. 74.

*Terebra tristis* Desh.

Proc. Zool. Soc. 1859. pag. 306. Reeve Conch. icon. *Terebra* spec. 102.

*Terebra solida* Desh.

Journ. de Conch. vol. 6. pag. 78. Tab. 3. fig. 11. Reeve Conch. icon. *Terebra* spec. 123.

## Pyramidellacea.

### Genus *Obeliscus* Humphrey.

*Obeliscus pulchellus* A. Adams.

Sow. Thes. vol. 2. pag. 808. Tab. 171. fig. 20. *Pyramidella pulchella* Reeve Conch. icon. spec. 24.  
Lischke Jap. M. Conch. vol. 3. pag. 57.

Plura specimina adsunt in Mari Japoniae mediterraneo et sinu Jedoënsi lecta.

Nescio qua de causa Clar. Adamsius hanc speciem inter *Obeliscos* enumeraverit, cum ejus notae omnibus partibus *Syrnolis* respondeant. Specimina nostra plica unica instructa sunt, in uno tantum plica altera vix indicata est.

*Obeliscus teres* A. Adams.

Sow. Thes. vol. 2. pag. 807. Tab. 171. fig. 31. 32. A. Adams on Japanese *Obeliscinae* in Proc. Zool. Soc. 1862. pag. 232.

Specimen detritum exstat.

Praeterea Adamsius l. l. pag. 232. has *Obeliscorum* species Japonicas enumeravit:

*Obeliscum balteatum* A. Ad.

Sow. Thes. Tab. 171. fig. 25.

Yobuko, Uruga.

*Obeliscum pusillum* A. Ad.

Sow. Thes. Tab. 171. fig. 7.


O-shima, Takano-shima.

*Obeliscum eburneum* A. Ad.

l. c. pag. 232.

O-shima.

Speciem albam, solidulam, anfractibus hinc atque illinc in longitudinem sulcatis.



Ex offic lithogr. Theodori Fischer.